

modo autem is efficere possit, ut Deus etiam alteri speciali illa assistentia succurrat?

Verum etiamsi infallibilitas *ipsa in se* transferri nequit, non repugnat tamen, eam transferri ratione alterius, sc. ratione supremæ iurisdictionis et potestatis docendi. Ut infra notabimus<sup>1</sup>, controversatur, utrum duo sint subiecta supremæ potestatis Ecclesiae, Summus Pontifex et totum collegium Episcoporum cum Summo Pontifice coniunctorum, an unum solum, Summus Pontifex. Quodsi unum solum subiectum est, Summus Pontifex: in hac suppositione hic, cum Concilium ad supremam potestatem secum exercendam convocat, Episcopos convocatos participes facit non solum supremæ potestatis, ita ut omnes v. g. in doctrina definienda vere in solidum ultimam et definitivam sententiam cum Summo Pontifice tanquam veri iudices ferant, sed etiam participes infallibilitatis. Hic enim ipse sententiæ ferendæ actus servandus est ab errore immunis. Hunc autem actum non solus Summus Pontifex, sed omnes Episcopi cum eo tanquam capite uniti in solidum exercent. Qui igitur sententiam sequuntur, exstare unum solum subiectum supremæ potestatis, affirmant etiam necesse est, unum solum habere privilegium infallibilitatis, quod non ipsum in se, sed ratione supremæ potestatis cum alio communicetur.

#### COMMENTATIO IX.

Quid a Concilio Vaticano de obiecto infallibilitatis pontificiæ doceatur.

Theologos constat docere, Ecclesiae magisterium non solum in iis veritatibus proponendis infallibile esse, quæ a Deo in se revelatæ et propterea fide divina credendæ sunt, sed in iis etiam, quæ, licet ipsæ nec explicite nec implicite formaliter revelatæ sint, e veritatibus revelatis tamen ratiocinatione deducuntur seu ad eas et conservandas et explicandas et defendendas ab ecclesiastico magisterio proponi debent. Quum v. g. revelatum sit, animam humanam spirituales esse, eo ipso Ecclesia censenda est infallibilis in iis opinionibus damnandis, quas iudicat cum illa veritate conciliari non posse, v. g. animam humanam generatione produci. Porro, quum Ecclesia doctrinam revelatam verbis enuntiatam proponere atque errores oppositos verbis expressos proscribere debeat, infallibilis censenda est, ut aiunt, „in diiudicandis textibus dogmaticis“ seu „factis dogmaticis“, sc. infallibilis est, quum iudicium fert, certam quandam sententiam dogma aliquod recte enuntiare, seu errorem vere continere, v. g. Iansenii librum, qui inscribitur Augustinus, sensu ab auctore intento, id est naturali verborum sensu, qui iuridice sensus ab auctore intentus habetur, quinque illos errores continere, quos Ecclesia in eo contentos condemnavit. Animadverti-

<sup>1</sup> In adnotationibus ad cap. III. Constitutionis.

mus autem, aliquos theologos etiam omnia illa, quæ cum deposito fidei eo, quo diximus, modo cohererent, vocare facta dogmatica, ita ut breviter dicant, Ecclesiam non solum in veritatibus revelatis, sed etiam in factis dogmaticis infallibilem esse. Id animadvertimus, quum illa vox etiam in documentis atque ab auctoribus nobis citandis eo sensu aliquoties usurpata sit.

Iam Vaticanum Concilium, quum Romanum Pontificem infallibilem esse definiret, eum eadem infallibilitate pollere definivit, qua polleat Ecclesia. Quum igitur de fide sit, Ecclesiam in definiendis veritatibus in se revelatis infallibilem esse, vi definitionis Vaticani Concilii de fide etiam est, Romanum Pontificem saltem in illis veritatibus definiendis infallibilem esse. Porro, quum theologice certum sit, Ecclesiae infallibilitatem etiam ad alias illas veritates se extendere, quæ cum revelatis connexæ sunt, vi Vaticanæ definitionis theologice certum etiam est, Romani Pontificis infallibilitatem ad alias illas veritates se extendere.

Sed quaeritur, num Vaticanum Concilium, quod hac via indirecte tanquam theologice certum cognoscamus, etiam directe docuerit vel definiverit, sc. num etiam directe docuerit, infallibilitatem Summi Pontificis se extendere non solum ad veritates in se revelatas, sed etiam ad alias, quæ cum iis eo, quo diximus, modo connectuntur. Sunt, qui id affirmant.

Ea capituli quarti Constitutionis primæ de Ecclesia pars, qua de obiecto infallibilitatis agitur, hæc est: „... definimus, Romanum Pontificem, cum . . . doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit . . . ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit.“ Hoc loco directe doceri, Romani Pontificis infallibilitatem se extendere etiam ad „facta dogmatica“, putat Ioannes B. Andries<sup>1</sup>. In verbis definitionis „doctrinam de fide vel moribus“ fidem intelligit *obiectivam*, id est id, quod fide creditur, seu veritatem revelatam, *non subiectivam*, id est actum seu virtutem fidei, qua credimus. „Doctrinam de fide“ igitur intelligit doctrinam, *quæ fidem obiectivam seu veritatem revelatam respicit*. Ea autem doctrina veritatem revelatam respicit, quæ ad revelatam veritatem conservandam, defendendam, explicandam necessario proponenda est. Ergo etiam in ea definienda Summus Pontifex vi decreti infallibilis esse dicendus est. Eo sensu verba decreti intelligenda esse, etiam inde patere putat Andries, quod Concilium dicat: „quum doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit“. Si enim Concilium de solis veritatibus revelatis fide *credendis* loqui voluisset, futurum fuisse dicit, ut loco „tenendam“ posuisset „credendam“ seu „fide divina tenendam“. Usu theo-

<sup>1</sup> Cathedra Romana oder Der apostolische Lehrprimat, p. 202 sqq.

logorum adhiberi vocem tenendi, quam Concilium sapienter sane elegerit, ad significandam fidem tam ecclesiasticam quam divinam. Concludendum igitur esse, Concilium Summo Pontifici infallibilitatem adscribere non solum, quum is veritates revelatas seu fide divina credendas, sed etiam, quum veritates fide ecclesiastica admittendas definitiva sententia proponat. Hac autem fide, id est *saltem* hac fide, communi theologorum consensu admittendas esse eas veritates, quae ipsae revelatae non sint, sed cum revelatis connexae atque ab ecclesiastico magisterio propositae.

Eo magis Andries decretum ita explicandum esse putat, quod Concilium Vaticanum in Constitutione de fide magisterio ecclesiastico ius et officium tribuat „falsi nominis scientiam proscribendi“<sup>1</sup>. Sententiam ab Ecclesia de falsa scientia latam esse sententiam de facto dogmatico seu de doctrina depositum fidei respiciente<sup>2</sup>.

Sed certum est, Concilium noluisse definire, Summum Pontificem infallibilem esse in iis veritatibus proponendis, quae revelatae non sunt, sed depositum fidei solum respiciunt; id quod iam ex ipsis verbis decreti, multo magis autem et plane evidenter ex eius historia patet. In nulla parte decreti formanda plus laboris positum est quam in ea, qua de obiecto infallibilitatis agitur. Quae de hac parte disputata sunt, accuratius persequemur<sup>3</sup>.

In primo schemate de infallibilitate pontificia, sc. in capite, quod capiti undecimo schematis de Ecclesia addendum Patribus proponebatur<sup>4</sup>, verba definitionis erant haec: „... definimus, per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, cui in persona beati Petri dictum est ab eodem Domino Nostro Iesu Christo: ‚Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua‘, cum supremi omnium christianorum doctoris munere fungens pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, errare non possit; et hanc Romani Pontificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur.“<sup>5</sup>

In observationibus a Patribus de hoc capite scriptura traditis<sup>6</sup> animadvertitur, descriptionem obiecti infallibilitatis *indefinitam* et *vagam* esse. Respondent Patres deputationis de fide: „Quum in schemate expresse dicatur, obiectum illud esse eiusdem omnino extensionis, cuius est ambitus infallibilitatis *Ecclesiae*, per hanc declarationem generalis propositio, quid in rebus fidei et morum . . . tenen-

<sup>1</sup> V. supra p. 91.      <sup>2</sup> L. c. p. 205.

<sup>3</sup> Cf. nostram de ea re commentationem: Der Umfang der päpstlichen Unfehlbarkeit nach dem Lehrdecrete des Vaticanischen Concils. Stimmen aus Maria-Laach XXXVIII, p. 49 sqq. 162 sqq.

<sup>4</sup> Cf. supra cap. I. Historia etc. p. 107.      <sup>5</sup> C. V. 641 a. b.

<sup>6</sup> Cf. supra cap. I. Historia etc. p. 107.

dum sit, definita plane ac determinata evadit.“<sup>1</sup> Quum postea ex capite undecimo schematis de Ecclesia et hoc capite de infallibilitate addendo novum Constitutionis schema conflaretur<sup>2</sup>, locus, de quo nos agimus, quatenus circa obiectum infallibilitatis versatur, primo mutatus non est<sup>3</sup>, nec profecto quidquam in eo desideratur, si in Concilio de solo subiecto, non autem de obiecto infallibilitatis agendum erat. Sed postea, quum schema novae Constitutionis a deputatione de rebus ad fidem pertinentibus discuteretur, haec eius pars mutata est, quae mutatio permultarum disputationum causa fuit.

Deputatio de fide de novo schemate in sessione tricesima septima die 2. Maii agere coepit. In sessione tricesima nona die 5. Maii disceptabatur de sententia, qua de obiecto infallibilitatis sermo est<sup>4</sup>.

Schema capituli quarti, ut alio loco<sup>5</sup> ex diurnis commentariis unius e Patribus pro rebus fidei deputatis narravimus, „ab Eñio Bilio compositum et a S. Patre Pio IX. probatum erat. Quapropter inopinatum omnibus accidit, quod idem Cardinalis in sessione deputationis [eo] die 5. Maii fer. V. [mane], quum nemo Patrum adversus schema loqueretur, ipse contra illud argumentari coepit: non plus posse definiri de infallibilitate Papae, quam definitum sit de infallibilitate Ecclesiae; de Ecclesia autem hoc tantum definitum esse, eam esse infallibilem in definitionibus dogmaticis stricte dictis; ergo quaeritur, inquit, num proposito schemate infallibilitas Papae non nimis extendatur. Non negavit Cardinalis, imo tanquam certissimum asseruit, Papam infallibilem quoque esse in factis dogmaticis, in canonizatione Sanctorum aliisque parvis momenti rebus, sicuti Ecclesia in his infallibilis est. Addidit, se vehementissime cupere, ut in hoc Concilio Vaticano definiretur, Ecclesiam infallibilem esse, non solum in definitionibus dogmaticis stricte sumptis, sed etiam in factis dogmaticis, in canonizatione Sanctorum, in approbatione Ordinum. Sed quum nunc de infallibilitate Papae definienda ageretur, antequam actum esset de infallibilitate Ecclesiae, illud incommodi habere schema, quod plus diceretur, quam oporteret. Ad haec respondebatur, neque infallibilitatem Ecclesiae hucusque ullo modo definitam esse, constare autem apertissime, infallibilitatem Ecclesiae dogma esse et dogma fundamentale, quum quilibet catholicus actum fidei enuntiando hoc profiteatur: ‚Credo, quod Deus revelavit et Ecclesia catholica credendum proponit.‘ Quum igitur fide constet, Ecclesiam esse infallibilem, idem de Papa definiatur.“

Alii aliud suadebant. Unus animadvertit, in definitionem nihil novi de ambitu obiecti infallibilitatis recipiendum esse<sup>6</sup>. Complures

<sup>1</sup> Relatio etc. C. V. 286 d.      <sup>2</sup> Cf. supra cap. I. Historia etc. p. 110 sq.

<sup>3</sup> Schema etc. C. V. 1642 b.      <sup>4</sup> Ex actis etc. C. V. 1681 d.

<sup>5</sup> Ex diurnis etc. C. V. 1699 sqq.      <sup>6</sup> Ex actis etc. C. V. 1683 b.

tamen formulas proponebant, in quibus diserte veritates in se ipsae revelatae obiectum infallibilitatis pontificiae dicebantur; de aliis tacebatur. Quod quidem studium, infallibilitatis obiectum, quantum incolumi dogmate fieri potuit, coartandi, maxime sequenti hac formula, quae in ea sessione proposita est, apparet: „ . . . per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, . . . cum supremi omnium christianorum doctoris munere fungens, de quaestionibus fidei et morum iudicans, de iis definit, quid ab universali Ecclesia *sub haeresis censura credendum* vel reiiciendum sit, errare non possit“. Is, qui hanc formulam proposuit, in fine definitionis, ubi Summi Pontificis infallibilitas se ad idem obiectum extendere dicitur, ad quod ipsius Ecclesiae, addi vult „nempe *ad depositum fidei*, hoc est, *Dei verbum* scriptum vel traditum“<sup>1</sup>. Qua quidem formula non negatur, obiectum infallibilitatis praeter revelatas veritates etiam alias, quae revelatae non sunt, complecti; sed quum in ea de solo deposito fidei et de iis solum veritatibus, quas negare haereticum est, tanquam obiecto infallibilitatis et Summi Pontificis et Ecclesiae sermo sit, periculum erat, ne haec vel similis formula a Concilio recepta aliquando faveret errori diffundendo, Ecclesiam et Summum Pontificem in his *solis* veritatibus definiendis infallibilem esse.

Quum in fine sessionis quaereretur, quae formula maxime placeret, ea, quam Rñus Martin, Episc. Paderbornensis, proposuerat, omissis quidem suffragiis<sup>2</sup> recepta est: „Declaramus, Romanum Pontificem, . . . cum . . . definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia *fide catholica credendum* sit, . . . errare non posse, taliaque eius fidei decreta seu iudicia per se irreformabilia a quovis christiano, . . . pleno *fidei* obsequio excipienda et tenenda esse.“ Etiam in hac formula de *solis* veritatibus revelatis tanquam obiecto infallibilitatis pontificiae sermo est. Sed additur in fine: „Et hoc quidem Romani Pontificis *infallibile* magisterium ad eadem pertinere docemus, ad quae *infallibile* universae Ecclesiae magisterium . . . sese extendere dignoscitur.“<sup>3</sup>

In sequenti sessione (erat haec ordine quadragesima), quae eodem die vespere habita est, lectum est a theologo caput quartum secundum formulam Episc. Paderbornensis emendatum. In eo locus, quo de obiecto infallibilitatis sermo est, erat hic: „ . . . Romanum Pontificem . . . habere Spiritus Sancti assistentiam, qua fit, ut, cum . . . definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia *fide divina credendum* tenendumve vel reiiciendum sit, errare non possit; et hanc Romani Pontificis *infallibilitatis* praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur.“<sup>4</sup>

<sup>1</sup> Ex actis etc. C. V. 1683 d sq.

<sup>2</sup> Ex diurnis etc. C. V. 1700 a.

<sup>3</sup> Ex actis etc. C. V. 1683 c. d.

<sup>4</sup> Ex actis etc. C. V. 1684 b.

In eadem sessione Cardinalis Praeses contra pristinum schema eadem urgere pergebat, quae mane obiecerat. „Dixit, praecipuos theologos tum ante ortum Iansenismum, tum eo durante, tum recentiore tempore infallibilitatem Papae duntaxat in definiendis dogmatibus defendisse. Qua argumentatione plures Patres deputationis decepti sunt, quum non animadverterent, illos theologos infallibilitatem Papae in definiendis dogmatibus tanquam veritatem de fide certam vel fidei proximam defendisse, et praeterea tanquam theologice certum probavisse, Papam etiam in factis dogmaticis et in censuris haeresi minoribus esse infallibilem, idque eodem modo, quo Ecclesiam infallibilem esse constat. Archiepiscopi Dechamps, Spalding, Steins et Episc. Martin, adversarios conciliandi studio ducti, argumentationi Cardinalis Bilio favebant, alii fortiter resistebant. Sic hinc atque hinc disputatum est ad horam usque nonam.

„Postero die (6. Maii) mane Eñus Praeses ad sessionem vocaverat duos theologos. Post brevem utriusque orationem de quaestione, utrum et quid definiiri posset, mox inopinato a Cardinali prolata est nova formula, quam ante sessionem ei Paderbornensis tradiderat<sup>1</sup>. Hanc ab uno e theologis praelectam alius theologus commendavit uti solvendis difficultatibus aptam. Rogatis sententiis, alii sibi formulam placere, alii iuxta modum placere dicebant; unus nec contradicere nec „Placet“ dicere voluit; duo formulam plane reiecerunt<sup>2</sup>. Conclisit paulum festinanter Cardinalis Bilio: „Ergo formula proposita“, inquit, „omnibus Patribus placet, duobus tantum contradicentibus.“ Eam sine mora typis mandari iussit.

„In sessione quadragesima altera d. 7. Maii redierunt Patres ad novam formulam capitis quarti, ac duo illi, qui eam reiecerant, rationes exposuerunt, cur reiiciendam putarent. Praecipua ratio haec fuit, quod in capite iam mutato *tantummodo* doceatur, Romanum Pontificem errare non posse, quum definiat, quid expresse *fide divina credendum* sit. Inde enim timendum esse, ne fideles, quum *plenam* expositionem doctrinae de Romani Pontificis infallibilitate illo capite contineri putent, hanc ad illas solas definitiones referant, quibus fides divina praescribitur, adversarii autem infallibilitatis huiusmodi *exclusivam* interpretationem pervulgent. Postquam illi duo dicendi finem fecerunt, unus e theo-

<sup>1</sup> Locus huc spectans est hic: „ . . . quum . . . definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia *fide divina* (emend.: de fide) *tenendum* vel *tanquam fidei contrarium reiiciendum* sit. . . Porro, quum una eademque sit Ecclesiae infallibilitas, sive spectetur in capite Ecclesiae sive in universa Ecclesia docente cum capite unita . . ., hanc infallibilitatem etiam ad unum idemque obiectum sese extendere docemus, nempe ad fidei depositum custodiendum intemperateque exponendum“. Ex actis etc. C. V. 1684 d sq.

<sup>2</sup> Cf. ibid. C. V. 1685 a.

logis, quid de nova formula sentiret, exposuit; concessit ille quidem, difficultates non abesse et rationes propositas vi non carere, putabat tamen, iis facile occurrere posse, si pauca mutarentur. Quod quum maiori Patrum numero placeret, continuo id operis susceptum est.<sup>1</sup>

Itaque schema Constitutionis primae de Ecclesia iam emendatum typis imprimebatur atque d. 9. Maii inter Patres Concilii distribuebatur<sup>2</sup>. Ipsa definitio infallibilitatis pontificiae his contenta erat: „Romanum Pontificem . . . errare non posse, quum . . . definit, quid in rebus fidei ac morum ab universa Ecclesia *tanquam de fide tenendum vel tanquam fidei contrarium reiiciendum sit*, et eiusmodi decreta sive iudicia per se irreformabilia a quovis christiano, ut primum ei innotuerint, pleno *fidei obsequio* excipienda et tenenda esse. Quoniam vero infallibilitas eadem est, sive spectetur in Romano Pontifice tanquam capite Ecclesiae, sive in universa Ecclesia docente cum capite unita, *insuper definimus, hanc infallibilitatem etiam ad unum idemque obiectum sese extendere.*“<sup>3</sup>

Permultis autem Patribus formula mutata plane displicuit iisque pristinum schema praeferendum esse videbatur. „Itaque complures habiti sunt conventus privati apud Archiepiscopum Bituricensem et Episcopum Carcassonensem, quibus adesse solebant Westmonasteriensis, Corisopitensis, Hebronensis, Ascalonensis, Cenomanensis, Ratisbonensis, et Vicarii generales d'Alzon et Chesnel, ut deliberarent de emendatione formulae. Placuit omnibus, ut, quoad fieri posset, nova reiecta formula, antiquum schema restitueretur, et ut de obiecto infallibilitatis Romani Pontificis non plus definiretur, quam idem esse cum obiecto infallibilitatis Ecclesiae. Complures emendationes propositae.“<sup>4</sup> Cur mutata formula tantopere displicuerit, cognoscimus ex iis, quae unus ex Patribus emendationi a se propositae praemisit.

„Formula,“ inquit, „quatenus obiectum infallibilis magisterii tangit, debet esse huiusmodi, ut nullum prorsus dubium sit, Romani Pontificis infallibilitatem se eo usque extendere, quousque se extendit ipsius Ecclesiae infallibilitas. Id autem non obtinetur nova illa formula, sive ea *in se* spectetur, sive relate *ad circumstantias praesentes*, sive relate ad id, quod *ultimo additur* de infallibilitatis obiecto.

„I. Verba in nova formula usurpata, si *in se ipsis* spectantur, continent restrictionem. Nam dum theologi, si totum infallibilitatis obiectum paucis exprimere volunt, dicere solent, Ecclesiam vel Romanum Pontificem infallibilem esse in rebus seu quaestionibus fidei et morum, sive ad fidem et mores spectantibus, nova haec formula dicit,

<sup>1</sup> Ex diurnis etc. C. V. 1700 a sqq.

<sup>2</sup> Ex actis etc. C. V. 1685 a.

<sup>3</sup> Schema etc. C. V. 273 b.

<sup>4</sup> Ex diurnis etc. C. V. 1700 d. — Aliquas ex emendationibus propositis habes C. V. 1704 a sqq.

infallibilem esse Pontificem, dum definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia *tanquam de fide* tenendum, vel *tanquam fidei contrarium* reiiciendum sit. His autem verbis theologi significare solent id, quod est formaliter revelatum, adeoque fide divina credendum, et id, quod ei oppositum est, videlicet haeresim. Distinguunt enim id, quod est revelatum, ab illo, quod cum veritate revelata quomodocunque connexum est. Dum porro docent *omnes*, illud, quod est revelatum, assensu fidei divinae credendum esse, et quidem fidei divinae catholicae, si ab Ecclesia proponitur, *non omnes* docent, illud, quod tanquam cum veritate revelata quomodocunque connexum ab Ecclesia proponitur, esse obiectum fidei divinae, seu fidei stricte sumptae, sed alium assensum admittunt. Hinc patet, illis novae formulae verbis, si sensu obvio et communius accepto sumuntur, non contineri illa, ad quae ceteroquin infallibile magisterium Ecclesiae se extendit.<sup>1</sup> . . .

„II. Reponi fortasse potest, propositionem formulae esse affirmativam, non exclusivam, hinc nullam adesse restrictionem; quum asseratur, Romanum Pontificem infallibilem esse in rebus *de fide* tenendis, non asseri, in aliis non esse infallibilem. Sine dubio haec fuit mens deputationis. Sed valde timendum est, ne, quod optima intentione scriptum est, propter *circumstantias praesentes* alia mente explicetur, et vera restrictio supponatur; unde gravissima sequerentur mala. Etenim, quum formula recedat ab illo loquendi modo, quo uti solent theologi, dum infallibilis magisterii obiectum *unica sententia exprimere volunt*, dictitabant non pauci, Concilium ab illo recessisse *consulto*, hinc obiectum restringere voluisse.

„Patres deputatos restrictionem inducere voluisse, tanto pronius coniecerunt multi, quum constet, saeculo praeterito et hoc etiam saeculo exstitisse quosdam, qui infallibile Ecclesiae magisterium ad illa sola restringerent declaranda, quae formaliter revelata essent, et illa sola reiicienda, quae illis adversarentur. Nota est illa *Regula fidei* a Chrisman conscripta, quod opus, quum primum exigui fieret, postea a quibusdam viris doctis commendatum, denuo excusum et sparsum, ipsi *Cursui theologico* a D. Migne edito insertum est. Congregatio autem Indicis ante aliquot annos illud proscribendum duxit. Theoriam in hoc opere expositam adoptantes asserunt alii, Ecclesiam non esse infallibilem in notis haeresi inferioribus infligendis; alii, non esse infallibilem in systemate aliquo philosophico condemnando; alii, non esse infallibilem in doctrinis, quae vitam sociale spectant, diiudicandis. . .

„Omnibus . . . periculis occasio praescinderetur, si pro verbis, quae unam obiecti partem determinate exhibent, alia eligerentur, quae illud indeterminate tantum exhiberent<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Fasciculus emendationum etc. C. V. 1704 a. b.

<sup>2</sup> Ibid. C. V. 1705 b sqq.